

SCRIPTA

Numéro Scripta : 761

Auteur(s) : Nicolas Daniel, de Lignemare [particulier]

Bénéficiaire(s) : Le Tréport, Saint-Michel (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1259, 7 avril

Lieu d'émission : Rouen

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Abandon en faveur de l'abbaye, par Nicolas, dit Daniel, de Lignemare, des dîmes qu'il percevait dans cette paroisse

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Laffleur de Kermaingant Pierre, *Cartulaire de l'abbaye de Saint-Michel du Tréport (ordre de Saint-Benoît)*, Paris, Didot, 1880, n° CCIV, p. 229-230.

Dissertation critique

Le 7 avril 1259 ou le 29 mars 1260 (nouveau style) : Pâques tombe le 13 avril en 1259 et le 4 avril en 1260.

Texte établi d'après a

Notum sit omnibus, presentibus et futuris, quod, cum ego Nicholaus, dictus Danyel de Aneillemara, quasdam decimas perciperem et haberem, singulis annis, in quibusdam terris sitis infra metas parrochie de Aneillemara, quas tenebam in feodum ab antiquo, cupiens easdem decimas ad jus ecclesiasticum reverti, et ad personas potius transferri ecclesiasticas quam in manu retinere laicali, omne jus quod michi aut successoribus meis competebat, vel competere poterat, in decimis supradictis et in perceptione earumdem, spontaneus resignavi in manu reverendi patris O[donis], Dei gratia archiepiscopi Rothomagensis loci dyocesiani, quam resignationem idem reverendus pater recepit et acceptavit, suplicans eidem ut dictas decimas, et jus percipiendi easdem, conferret et assignaret in puram et perpetuam elemosinam, ob salutem anime mee et animarum predecessorum meorum, viris religiosis abbati et conventui de Ulteriori Portu, in utilitatem ipsorum et monasterii eorum convertendas. Idem vero reverendus pater dictas decimas, et jus percipiendi easdem, me presente, contulit et assignavit eisdem religiosis supradictis, Galtero, rectore dicte ecclesie de Aneillemara, per litteras suas expressum prebente consensum. Promisi insuper, sub religione prestiti juramenti, quod in dictis decimis, aut in perceptione earumdem, ego aut heredes mei nichil reclamabimus in futurum. In cujus rei testimonium, presenti scripto sigillum meum apposui. Actum Rothomagi, anno Domini M°. CC°. La.mo. nono, die lune post Ramos Palmarum. Testibus hiis : magistris Ricardo de Salomonisvilla, Petro de Albamalla et Johanne, dicto Cholet, canonicis Rothomagensibus, fratre Nicholao Anglico, fratre Rogero de Bosco, monachis de Ulteriori Portu, et Petro de Maisnillo, senescallo domini archiepiscopi Rothomagensis, Petro de Albamalla, notario curie Rothomagensis, Nicholao le Bouteillier, et Johanne Goude et multis aliis.